

lica petenda est, sive in Romana Pœnitentiaria, cum occultum est crimen, sive in Romana Dataria, cum est manifestum. Tantum duæ species à sacris canonibus probantur, in quibus sufficiat Episcopi dispensatio. Prima est, cum Clericus non Prælaturam, sed simplex beneficium ignorans simoniam ab eligentibus, vel patronis admissam obtinuerit, can. 3. caus. 1. quæst. 5., cap. 59. de electione. Altera est singularis quoad irregularitatem, quam simoniacus contraxit. Si enim occultum crimen fuerit, poterit ab ea nota Episcopus dispensare juxta disciplinam in Concilio Tridentino probatam, sess. 24. de Reformat. cap. 6., non quidem ut beneficia per simoniam obtenta retineat Clericus, sed ut ad sacros ordines promovatur, cum aliud sit, irregularitatis delicti notam, aliud collationem, quæ ab initio irrita fuerit, confirmari. Id tamen intellige dummodò in neutra specie conscius simoniæ Episcopus ipse fuerit, argumento cap. 5. de Clericis conjugatis, & cap. 8. de tempor. ordinat.

Nonnulla adhuc observanda supersunt in crimine simoniæ in judicium deducendo, quæ sanè singularia criminis odio statuta sunt, non tam ob ejusdem gravitatem, quam ut facilius, & pressius damnentur simoniaci, quorum fraudibus fieri solet, ne crimen in jure probetur. Tot tanteque suffugia identidem invenerunt simoniaci, ut vix sperandum esset sacra ministeria gratis suscipi, aut conferri, quemadmodum fuit superius observandum. Atque hoc sensu in can. 27. caus. 1. quæst. 7. simoniaci dicuntur veluti primi, & præcipui hæretici ab omnibus fidelibus respiciendi, & omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputari; quæ verba licèt non legantur

inter monumenta Paschalis Papæ, cui perperam tribuuntur, tamen usurpata fuerunt ab Innocentio III. in cap. 32. de simonia. Igitur primùm obtinet, ut unusquisque teneatur simoniacos denuntiare, extravag. 2. in fine de simon. int. com. Deinde obtinet, ut etiam infames, non tamen hæretici, accusare de eo crimine possint, servi etiam adversus dominum, monachi adversus Abbatem, parochiani adversus Parochum sine discrimine admittantur, nec alia accusato prodesse possit exceptio, nisi quòd accusator animo calumniandi ad judicium venerit, cap. 3. 7. 31. de simonia, imò & admittatur conscius, & confessor criminis ad denuntiandum proposita spe veniæ facillioris, can. 2. dist. 79, dicta extravag. 2., argumento can. 22. caus. 6. quæst. 1. in fine. Præterea quod de accusatoribus dicitur, idipsum statutum de testibus fuit, omnibus etiam gravium criminum reis admissis, nisi de calumnia suspecti sint, cap. 3. 32. de simon., aut nisi ejusdem, de quo testificantur, criminis rei esse probentur, cap. 10. de testibus. Insuper non requiritur, ut probationes liquidæ omnino, ac manifestæ sint, sed sufficiunt certa signa, quæ prudentis judicis animum movere possint, cap. 6. & 13. de simon. Quoniam verò in hoc judicio, quod merè ecclesiasticum est, & civiliter, & criminaliter agi potest, civiliter ad arcendum beneficiarium ab administratione, criminaliter ad simoniacum à beneficio, & ordine deponendum, notandum est, hunc juris rigorem habere tantum locum, cum civiliter agitur; nam si criminaliter ad pœnam depositionis agatur, ob majorem pœnæ asperitatem, ordinaria servandæ sunt judiciorum regulæ, ac solemnitates, dicto cap. 32. de simonia.

CAPUT III.

De spreto cultu Sanctorum.

Huc referendus est titulus 45. libri 3.

DOgma est Catholice fidei, singulari cultu in Ecclesia prosequendos esse, quorum animæ justæ in cœlesti Patria cum Christo feliciter regnant, non sanè quòd in hac parte Christiana pietas veterum gentium apothéosim imitata fuerit, cujus vi nonnullis, quos vel Semideos, vel Semones, quasi semihomines appellabant, divini honores decernebantur; semper enim Ecclesia docuit, & unum esse Deum, & nonnisi unum uti Deum esse colendum; sed quòd divinæ gloriæ participes illi sint, & possint apud Deum pro nobis adhuc peregrinis & militantibus intercedere, Concil. Trident. sess. 25. in decreto de invocatione Sanctorum. Primis Ecclesiæ sæculis apud fideles coli consueverunt post B. Mariam, cui sanè tantquam Deiparæ singulare obsequium debebatur, ii omnes, quorum in sacris literis probata vita constantissimè fuit, inter cæteros Joannes Præcursor; atque ii statim accesserunt, quotquot fuerunt martyrii gloria illustres, ac præ primis Apostoli universi, ac viri Apostolici, qualis erat Protomartyr Stephanus, qui post Christum, ac pro Christo obierunt. Martyrum erant tria veluti genera, quorum alii Professores, alii Confessores, alii generali nomine Martyres appellabantur. Professores vocabantur, qui non interpellati se palàm Christianos asserebant, spontè sese supplicii offerentes, Confessorum nomine donabantur ii, qui interpellati Christianos se constanti animo dixerant, & mortem pro Christi fide oppetierant. Martyres generali nomine dicebantur ii, qui atroces quidem perperis fuerant pro Chris-

to cruciatus, à quibus tamen superstitè evaserunt, vita deinde functi, dum pace Ecclesia frueretur; atque de hoc Martyrum genere frequentissima mentio est apud S. Cyprianum. Præterea Martyres cujuscumque generis essent, modò dicebantur *designati*, contra quos scilicet lata fuerat sententia, nondum executioni mandata; modò *consummati*, seu *coronati*, qui gloriosè pro Christo occubuerant; modò *vindicati*, quibus decreto Ecclesiæ jam Martyrum cultus exhibebatur. Paulò recentior fuit cultus in Ecclesia præstitus viris justis, qui non martyrio & fidem, & charitatem in Deum, sed insigni virtutum professione ad finem usque vitæ exhibita testati sunt, quos Confessores posterior ætas appellavit, cap. un. de reliq. & ven. Sancti. Nimirum cultum istum publicum quarto primum sæculo inolevisse, eruditi viri tradiderunt; quo primùm tempore orationes aliquot ita concipiebantur, ut earum formula dubia admodum videretur, an pro Sanctis illis Ecclesia oraret Deum, an potius Ecclesia pro fidelibus oraret, interposita eorumdem Sanctorum intercessione. Refert Innocentius III. in cap. 6. s. ult. de celebrat. Missar., in secreta B. Leonis II. juxta antiquiores codices ita orari in Ecclesia consuevisse: *Annuè nobis, Domine, ut animo famuli tui Leonis hac præsente oblatio, quando in recentibus illius temporis Sacramentariis immutata fuit orandi formula his verbis: Annue nobis, quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis hac nobis prois oblatio. Imò & subjicit Innocentius, in plerisque orationibus contineri. prois, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam & hono-*

rem. Has autem, & similes formulas ita interpretatur, ut ad hoc prosit oblatio Sanctis, quod magis, ac magis à fidelibus glorificentur in terris, licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad iudicium augmentari, & ideo Ecclesiam interium sane posse augmentum glorificationis eorum optare; & concludit, fortè his accommodari posse, quod tradebatur ab Augustino in can. 23. caus. 13. quæst. 2.

Duplici modo in hac re gravissimè delinqui potest; primo, non colendo illos, qui coli ex mandato Ecclesie debent; secundo, colendo illos, quos ecclesiastico iudicio, aut probatione colendos esse non constat, can. 57. & 58. caus. 11. quæst. 3. Equidem quandoquè contigit in aliquibus Ecclesiis, ut quidam colerentur, qui nedum colendi non erant, sed etiam damnandi; hinc refert Alexander III. in cap. 1. de reliq. & ven. Sancti, in quadam Ecclesia fuisse publicè veneratum hominem in potatione, & ebrietate occisum; & Sulpitius Severus in libro de vita S. Martini Turonensis cap. 8. hoc factum describit: Erat haud longe ab oppido proximus monasterii locus, quem falsa hominum opinio velut consepulsi ibi Martyribus sacraverat, nam & altare ibi à superioribus Episcopis consecutum habebatur. Sed Martinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his, qui majores natu erant, Presbyteris, vel Clericis, flagitabat, sibi nomen Martyris, vel tempora passionis ostendit grandis se scrupulo permoveri, quòd nihil constans sibi majorum memoria tradidisset. Cùm aliquandiu ergo à loco illo se abstinisset, nec derogans Religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem suam vulgò accommodans, ne superstitio convalesceret, quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit; dein de super sepulchrum ipsum adstans oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. Tum conversus ad levam vidit propè assistere umbram sordidam, tricem: imperat nomen meritiisque, ut loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur, Latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus

esse commune, cùm illos gloria, se poena retineret. Mirum in modum vocem loquutis, qui aderant, audiebant, personam tamen non videbant: tàm Martinus quid vidisset exposuit, iustitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoverti, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore. Verùm Ecclesia perpetuò curavit, ut à templis huius generis monumenta auferrentur, uti constat ex hoc factò S. Martini, item ex can. 26. de consecr. dist. 1., ac denique ex famigerato Gelasii decreto in can. 3. dist. 15., quo plurima apocrypha Martyrum acta damnata sunt. Cæterùm absit, ut abeundum sit in aliorum excessus, qui & Martyrologia Latinorum, & Menologia Græcorum ita generaliter temunt, ut indiscriminatim Martyres prope universos, quorum memoriam Ecclesia celebrat, aspernentur. Fuit jam ista temeritas Pseudosynodi Cordubensis anni 852., in qua damnatus fuit cultus Martyribus numero plurimis debitus, quod decrerunt à quibusdam Episcopis extorserat Tyrannus æviens acerrimè in Christianos. Ad hunc ausum deinde recentioribus sæculis accessit Onuphrius Panvinius, quem alii secuti sunt clamantes, acta veterum Martyrum scaterè putidis mendis, & Ecclesiam incusantes, quòd homines numero plurimos veluti Sanctos veneretur prætextu martyrii, qui fuerint pendendis criminibus inquinati, & potius in penam scelusm supremo supplicio afflicti, quam ob fidei Christianæ professionem. Ajunt ipsi, verosimile non esse, tot Martyrum millia primis præsertim Ecclesie sæculis defunctorum coli posse, sive quòd ex multis Christianæ fidei cultoribus esse potuerint homines criminum etiam gravissimorum rei, non tàm ob Christianæ fidei professionem, quàm ob corruptos mores ab æthnicis interfeciti: addunt deinde, non omnes Romanos Principes tribus prioribus sæculis infensos adeo Christiano nomini fuisse, ut Christianos ad necem usque insequerentur, laudantque in eam rem veluti clementis-

simos, Trajanum, Pium, Hadrianum, & Marcum Imperatores. Facile est ingenio prudentique viro his respondere. Etenim fateri quidem possumus, non omnes, quos tanquam Martyres Ecclesia colat, fuisse publica auctoritate morte damnatos; attamen omnes passim ab æthnicis vexabantur, modò in exilium missi, modò coacti ad latitandum, modò clam à privatis interfeciti; hos autem vetusta atas etiam Martyres rectè appellabat. Quod autem spectat causam martyrii, semper sollicita fuit Ecclesia, ut Pseudomartyres à veris Martyribus secerneret; neque flagitiosos Christianos homines Martyrum fastis adscripsit, etiam si fuissent ab æthnicis damnati. Tantùm in Ecclesia tanquam Martyres haberi, & coli consueverunt, qui pro Christi fide, non in penam scelusm, sanguinem effuderunt. Hinc constantissima semper fuit disciplina Ecclesie, quæ uti cavit, ne verè sanctorum animas non coleremus, ita præcepit, ut à cultu illarum abstinere, quas in Beatorum numero Ecclesia ipsa prudenti iudicio non adscripsisset. Hæc porò definitio pendeat olim ab Episcopali iudicio, qui in Synodis unà cum Clericis suis causam examinabant, ac probabant, Imò & mos erat, ceteroqui singularis, in Africa Ecclesia, ut iudicio Primatis de consilio Suffraganeorum pronuntiari de ea definitio reservaretur, uti deducitur ex Augustino in Breviculo collationum cum Donatistis, collatione 3. cap. 13. Post Episcopalem definitionem Sanctus quisquam tantùm in Diocesi colebatur, tùm demùm ad alias Dioceses, aut Provincias cultu traducto, cùm per encyclicas aliæ Ecclesie de iudicio Episcopi factæ fuissent certiores, iudiciumque ipsum probavissent. Præcipua autem habebatur ratio Pontificis Maximi, ad quem acta Episcoporum aliquando referebantur, ut statim ac ab eo etiam probarentur, in universa Ecclesia cultus celebraretur. Ex quo liquet, jam tùm agnatum fuisse duplex Beatorum genus,

quorum aliqui tales habebantur in una tantùm aut altera Ecclesia, nimirum post iudicium unius aut alterius Episcopi, aliqui tales habebantur ubicumque in Ecclesia universa, nimirum post iudicium Pontificis Maximi omnibus Ecclesiis propositum, & probatum. Paulatim factum est, ut reservaretur Pontifici Maximo facultas decernendi sacrum cultum, non solum in universis, sed etiam in singularibus Ecclesiis, quod jam obtinuisse temporibus Alexandri III. perspicuè constat ex cap. 1. de reliq. & ven. Sancti, quod & confirmavit Innocentius III. in cap. 2. eod. tit. Et quidem Pontificis Maximi reservationis initio in Synodis eas causas absoluebant, aut extra Synodum, convocatis ad id viris dignitate, ac prudentia illustribus, quorum consilio & suffragio definitio fieret. A temporibus Sixti V. instituta anno 1587. Congregatione sacrorum Rituum obtinuit, ut in eadem res discuteretur, & Summi Pontificis auctoritate absolveretur.

Ordinator exinde profluxit procedendi ratio in causa decernendi cultus, nimirum justorum hominum quatuor veluti gradus clarius distincti fuerunt: quorum singulis singularia nomina tribuerentur, *Servorum Dei, Venerabilium, Beatorum*, atque *Sanctorum*. Servi Dei propriè ex recente disciplina appellantur, qui cum publica sanctitatis fama obierunt: Venerabiles, quorum sanctitatis fama judiciali ratione comprobata est Beati, quorum cultus Pontificio decreto, nondum tamen supremo iudicio permittitur, ac probatur, certis præstitutis neque excedendis modis, in aliqua Provincia, Diocesi, Civitate, aut Religiosa familia deferendus: Sancti denique, quos supremo Papæ iudicio in universa Ecclesia colendos esse mandatur, unde discreta fuit Beatificatio, ut loquuntur nostri, à Canonizatione, siquidem Beatificatio est actus, quo Pontifex Maximus Beatorum titulo decorat justorum animas indulgens certis locis,

aut collegiis, ut illas cultu Beatis debito prosequantur; Canonizatio autem est actus Pontificis Maximi, sententia definitiva pronuntians, iustorum quorundam animas cum Christo regnare, propterea que iubentis, ut eadem in tota Ecclesia cultu Sanctis debito colantur, dicta Canonizatio, quasi adscriptio in canonem, sive in catalogum Sanctorum. Quis non videat in conspectu recentis huius disciplinae, veterem illam, quae ab usu recessit, Episcoporum declarationem, ac decreta, speciem quandam habuisse Beatificationis, quae tunc demum vires Canonizationis adsumeret, quum in Ecclesia universa, probante, seu consentiente Pontifice Maximo, reciperetur?

Sive de Martyrum, sive de Confessorum causis agatur, regulariter hodie servatur, ut ad decretum vel Beatificationis, vel Canonizationis non procedatur, nisi primum constet, cultum illis à die obitus non fuisse delatum. Quod cum adparuerit, si de Confessoribus discussio fiat, de virtutibus defunctorum in gradu heroico, & de finali in illis perseverantia quaritur, item de miraculis, seu signis naturae ordinem excedentibus, quibus liqueat, divino iudicio Sanctitatem probari, cap. 52. de testibus; si de Martyribus, investigandum est de martyrio, & martyrii causa, item de miraculis; & quamquam necesse non sit, de virtutibus in gradu heroico exercitis quarere, plurimum tamen juvat ad expediendam controversiam, quaestionem istam cum quaestione martyrii & causae martyrii cumulare. Quoniam verò iure communi non definitur miraculorum numerus, dicto cap. 52. de testibus, ideo receptum est, ut duo sufficiant, argumento cap. 40. de regul. jur. in 6., & l. 12. ff. de testibus, nimirum duo ante Beatificationem, ut decretum Beatificationis ritè feratur, duo item alia post Beatificationem, ut ritè ad Canonizationem procedatur. Porro ne falsa miracula pro veris obrudantur, pri-

dentissime cavet Concilium Tridentinum, ne quisquam Episcopo inferior eadem publicet, aut probet; sed ut Episcopus eadem recognoscat, & adprobet, ad cuius potestatem pertinere decrevit, ut simul atque de iis aliquid comperit habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quae veritati, & pietati consentanea iudicaverit, sess. 25. in decreto de invocatione Sanctorum in fine. Dixi regulariter; sunt enim casus quidam excepti, quibus aliter ad Beatificationem, vel Canonizationem proceditur. Id contingit, cum alicui jamdiu vita functo, eo temporis spatio, quod hominum memoriam excedit, cultus publicus delatus est, vel cum docetur, cultum fuisse per aliquod tempus praestitum ex indulto Apostolico, aut sacrae Congregationis decreto executioni demandato, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta; quibus in speciebus Ordinarii primum in causa cognoscere solet, coram quo si cultus ille adprobetur, confirmatur apud Apostolicam Sedem, & tunc demum dicitur quasi aequipollens Beatificatio, postquam deinde ad Canonizationem ordinaria modo descripti iudicii forma apud Sedem Apostolicam procedi valeat. Post tam grave iudicium, praesertim Canonizationis, qui debitum vindicatis cultum denegaret, acerrimis puniretur penis, quales ex recentioribus Pontificiis constitutionibus sunt suspensio à divinis in Clericis, denegatio suffragii seu activi, ut vocant, seu passivi in monachis, praeter alias extra ordinem infligendas, quae & in laicis locum habent pro delicti qualitate. Videatur in hanc rem constitutio 37. quae incipit *Sanctissimus*, & constitutio 132. quae incipit *Celestis*, Urbani VIII.

Nonnulla hoc in loco adjicienda sunt de Sanctorum, Beatorumve reliquiis, sive quae spectant ad cultum earum, sive quae spectant ad earundem translationem. Variæ sunt dubitandi causae, ubi agit de cultu reliquiis exhibendo. In

primis, enim constare aliquando potest de veritate reliquiae, non tamen constare eum esse Sanctis, vel Beatis adscriptum cuius reliquia est. Deinde constare aliquando è converso potest, aliquem esse Sanctum, vel Beatum, quin constet, certam reliquiam illius esse. Postremo constare aliquando potest, reliquiam esse viri Sancti, vel Beati, quin tamen constet de Sancti, vel Beati nomine, patria, & qualitatibus universis in specie. Quoties constat de veritate reliquiae, nondum tamen Sanctorum, vel Beatorum fastis adscriptus est is, cuius esse reliquia dignoscitur, nemo audere debet, eam publicè exponere ad cultum, licet fortè dicatur esse, aut Servorum Dei, aut Venerabilium hominum, cap. 2. de reliq. & venerat. Sancti, imò etiam licet miracula per illam edita adparuerint, cap. 1. eod. tit. Statim ac enim hodie Canonizatio, ac Beatificatio Pontifici Maximo reservatur, eidem quoque Pontifici Maximo reservatur facultas concedendi cultum viris iustis. Et quamquam Ordinarii locorum, uti notat Fagnanus ad dictum cap. 2. numero 10., possint recognoscere, & approbare miracula alicujus, qui martyrii fama, vel sanctitatis opinione celebris è vita migravit, tamen ne quid novum ac in ordinatum in re tam gravi committatur, jubentur negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittere, ejusque responsum spectare. Atque ne singulari cuidam cultui reliquiis huius generis prestando detur occasio, receptum est, ut cadavera mortuorum semel in tumulo deposita, quasi perpetuam sedem, nequeant privata cuiusquam auctoritate in alium locum transferri, quod jam olim vigeat ex legibus Romanorum, l. 8. ff. de relig. & sum. fun. l. 1. & 10. cod. eod. Hinc si causa quaedam translationis emergat, necessaria erit causa cognitio, & Episcopale decretum, can. 37. de cons. dist. 1. imò & requiritur auctoritas Romani Pontificis, si jam apud Sedem Apostolicam

causa Canonizationis, aut Beatificationis fuerint instituta, quasi tuat Pontifex Maximus Episcopalem praevenerit jurisdictionem. Quando verò hac facultas seu ab Episcopo, seu à Pontifice Maximo obtineatur, cavendum semper erit, ut translatio fiat sine strepitu, & pompa, januis Ecclesiae, vel Coemeterii clausis, ne ulla necdum debiti cultus occasio emergat. Quòd si constet, aliquem esse Sanctum, sive Beatum, & novè inveniuntur reliquiae, de quibus dubitari possit, an sint illius Sancti, vel Beati, non erunt istae colendae, priusquam constet, illas ipsas esse, quae reverè Beato, vel Sancto viro adscribi valeant; atque ista causa cognitio regulariter ad Episcopos pertinet, can. 26. de cons. dist. 1. Concilio Tridentino in dicto decreto de invocatione Sanctorum sess. 25. Ecquidem in hoc iudicio magna diligentia entendum est, ne falsae reliquiae pro veris obrudantur, non sanè ut adeo scrupulosi simus, ut geometricis tantum, seu evidentibus argumentis utamur, sed ut cautè admodum procedatur, & solida sint argumenta, atque apta ad movendum virum gravem, ac prudentem, qualia essent in antiquis etiam ea, quae maximè verosimilia sint, & urgentissimis conjecturis innitantur; agitur enim de rebus, quae non aliter, quam humano more custodiri possunt. Subiacent reliquiae translationibus, mutationibus capsarum, & variis formis, quibus modo hic, modo illic exponuntur. Litterarum testimonia, quibus earum veritas probari potest, modò antiquitate delentur, modò ruinis, & incendiis, aut simili fato pereunt. Eam ob rem entendum est, ut hinc non omitatur prudens sollicitudo, ne falsae reliquiae colantur, illinc non denegetur locus humanis probationibus, quae satis iudicis animum instruere ac movere possunt, ne veris reliquiis cultus debitus subtrahatur. Scio, aliquando reliquiarum identitatem igne probatam fuisse, id est ita, ut qui eas protulisset, per ignem transi-

re teneretur, Concilio Cæsaraugustano II. anni 392. can. 2. Verùm hæc uti erat disciplina quarundam Ecclesiarum singularis, nec satis laudanda, ita ab usu recentioribus sæculis ubique exolevit; hodieque probationibus ordinariis fit locus, & tùm demùm cultus decernitur, cùm sunt argumenta saltem moraliter certa. Recognitis sanctorum, Beatorumve reliquiis statim debitus cultus iis est exhibendus, servato modo cultus debiti Sanctis, & cultus debiti Beatis; id est ita, ut Sanctorum reliquiæ ubique statutis rationibus venerabiles habeantur, Beatorum autem juxta modum in decreto Beatificationis expressum, qui sanè non est excedendus, atque ubi decretum non adpareret, juxta modum, quem fert vetus consuetudo. Porrò si reliquiæ sint insignes, vel integram partem præferant, in qua passus est martyr, debent in Ecclesia adservari, nec licet privatis eas extra Ecclesias custodire, nisi agatur de magnis Principibus, aut majoribus Ecclesiæ Prælatibus; minus insignes apud privatos pietatis causa adversari permissum est. Quòd si constet reliquiis verè esse Sancti alicujus, vel Beati, non tamen sciatur Sancti, Beativæ nomen, ac patria, atque universæ in specie qualitates, jamdiu obtinuit, ut certum nomen Sancto, Beatove imponeretur, quos vulgò appellant *Sanctos baptizatos*. Nemo in hac re de mendacio Ecclesiam incuset; etenim ad mendacii cujuscumque vel levissimam suspicionem avertendam, consuevit Ecclesia Beatos hujus generis non singulari nomine donare, sed nomine, uti loquuntur Grammatici, appellativo. Sic olim dicti fuerunt Sancti quatuor *Coronati*, quorum nomen proprium ignorabatur; sic Sanctus

Adolfus dictus est, qui Felicem martyrem secutus est spontè, & in martyrio accessit. Sic etiam hodie aut Latinis, aut Græcis appellativis nominibus utimur, ad distinguendos veteres Sanctos, veluti cùm illos, Justum, Felicem, Pium, Fortunatum, Victorem, Theodorum, Theophylum nominamus. Quod denique spectat ad translationem reliquiarum, sunt qui putant, insignes Sanctorum reliquias in una Ecclesia semel collocatas, ne Episcopi quidem auctoritate posse ne donationis quidem causa extra illam Ecclesiam adportari, & aliò trasferri, quasi id vetitum sit in extravag. un. de reb. Eccles. non alien. int. com.; ideoque Episcopus id facientes pœnis in eadem extravagante expressis subjacere. Paulò aliter desinire solent prudentissimi viri, quorum judicio improbandum quidem Episcopi factum reliquias de una in alteram Ecclesiam transferentis, non enim tantis pignioribus, ac monumentis locupletatæ, ornataque Ecclesiæ spoliandæ sunt; ceterùm non damnaretur Episcopus, nisi extraordinariis pœnis judicio superioris definiendis, non pœnis laudatæ extravagantis, utpotè quæ ad hanc alienationis speciem nullo modo pertinere videtur. De reliquiis, quæ in Ecclesiis non custodiuntur, sed privatorum devotioni concessæ à singulis fidelibus detinentur, libertas unicuique inest, ut in quoscumque transferri à detinentibus possint, dummodò à venditione, aut quocumque commercio, & quæstus genere abstinèatur, quemadmodum apertè sacris canonibus definitum est, cap. 2. de reliq. & vener. Sanctor. & jam veteres constituerant religiosi Imperatores in l. 3. cod. de sacrosanctis Ecclesiis.

CAPUT IV.

De spreto cultu Sacramentorum.

Mens mihi non est in hoc capite singula persequi, quibus potest in Sacramentis seu conferendis, seu suscipiendis peccari. Tantùm singularia

quædam, expendam quæ in subjectis Decretalium titulis improbantur, atque damnantur.

AD TITULOS

De Sacramentis non iterandis. lib. 1. tit. 16.

De reiterantibus Baptisma. lib. 5. tit. 9.

De Presbytero non baptizato. lib. 3. tit. 43.

Jamdium definitum ab Ecclesia fuit, Sacramenta, quæ characterem imprimunt, Baptismum, Confirmationem & Ordinationem iterari non posse. De Baptismate quidem antiquissimæ fuerunt, in Africana Ecclesia concertationes, non quòd aliqui crederent, baptismum semel ritè collatum iterari posse, aut debere, sed potius quòd crederent, fidem in baptizante requiri, seu baptizatum ab hæretico verè baptizatum dici non posse. Verùm & hæc opinio, quæ sanctos cæteroqui viros aliquando patronos habuit, fuit dein de ab Ecclesia damnata, quum cautum est, baptismum valere, quoties aqua ablutus Evangelicis verbis regeneratur ministerio ejus, qui intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, quisquis ille sit, qui baptizat, seu impius, seu hæreticus, seu Paganus. Hinc jure optimo sacrilegi dicti fuerunt, qui aliquem ausi fuerint rebaptizare, aut qui se rebaptizari permiserint, can. 35. caus. 23. quæst. 5., pœnæque gravissimæ in rebaptizatos inflictæ, qualis est in Clericos depositionis à gradu, & generaliter in omnes pœna irregularitatis sine spe indulgentiæ, ac dispensationis, can. 65. dist. 50. can. 3. dist. 98., can. 10. & 21. in fine caus. 1. quæst. 7., quamquam aliquando in crimine occulto, & cum eo,

quem excusabat ætas, atque intentio fraternæ salutis, mihi actum fuerit, quemadmodam in specie capituli 2. de apostatis quod adeo verum est, ut locum habeat etiam in infante, aut ignorante adulto, in quibus licet rebaptizatio culpæ adscribi non possit, impedimento tamen est, ne ad ecclesiasticos ordines ascendant, nisi ex Ecclesiæ dispensatione indulgentia fiat necessitate emergente, can. 117. & 118. de cons. dist. 4. Neque obstant canones 3. & 4. caus. 1. quæst. 4., utpotè qui non de rebaptizatis, sed de iis, qui apud Donatistas baptismum perceperant, sunt intelligendi. Religiosi quoque Imperatores adversus rebaptizantes statuerunt, ut infames fierent, atque ultimo supplicio percellerentur. Infamiæ notam inustam fuisse, liquet ex l. 3. cod. de apostatis. At de ultimi supplicii pœna perspicua quidem videtur esse lex Honorii, & Theodosii, qualis habetur in l. 2. cod. ne sanctum baptisma iteretur, his verba concepta: *Si quis rebaptizare quemquam de ministris Catholicae sedis fuerit detectus, unà cum eo, qui piaculare crimen commissit (si tamen criminis per atatem capax sit) & hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur; verùm si verba hujus legis exigantur ad fidem Theodosiani codicis, seu ad legem*